

tra diffinitionem. **T**ercio sic. hoc est copulativa vera omnis homo est animal et lapis est lignum. ergo ad veritatem eius non requiritur veritas vniuscuiusque partium. Antecedens pars quia omnis homo sic dicitur aliquid esse sicut est vera est si ista dicitur hominem esse animal et ita est. ergo est vera. **Q**uarto sic. In copulativa magis vniuntur categorice quam in disiunctiva in qua vniuntur secundum vocem tantum quam copulativa est magis una quam disiunctiva non continet minores unitatem omnibus alijs. sicut dictum est. **Q**uinto sic. Totum valet tantum sicut quilibet pars. sed ad hoc quod tota copulativa sit falsa. oportet quodlibet partem esse falsam. **A**d primum dicitur quod si in ista. sortes et plato currunt. coniunctio et copulet inter terminos scilicet inter sortes et platonem ipsa est categorica de copulato extremo scilicet de subiecto. sed si copulet inter propositiones virtualiter est copulativa. **E**t valet illam. sortes currit et plato currit. **A**d secundum dicitur quod licet omnis homo currit continet materialiter plures categoricas copulativas. tamen ille non continet per modum plurium. sed per modum vnius diuisibilis. quare non est copulativa. quia in copulativa coniunguntur due categorice simpliciter et per modum plurium. **A**d tertium dicitur quod ista homo est animal. et lapis est lignum. dicit aliquid esse sicut est quantum ad partem sui significati non tamen secundum totum sui significatum quod tamen requiritur ad veritatem copulativam. **A**d quartum dicitur quod licet in disiunctiva categorice minus vniuntur quam in copulativa. tamen disiunctiva ponit veritatem vnius categorice. **I**deo habet simpliciter maiores unitatem quam copulativa. **A**d quintum dicitur quod si capiatur totum distributive tunc ad hoc quod tota copulativa sit falsa requiritur falsitas cuiuscumque partis eius. **S**ed si capiatur totum collectivam sine i diffinitive sicut capitur in proposito sic to

ta dicitur falsa propter falsitatem vnius partis.)

Disiunctiva est illa

in qua coniunguntur due categorice per hanc coniunctionem vel disiunctivam. aut sibi equivalentem. ut sortes currit. vel plato disputat etc.

Postquam autem determinavit de copulativa in qua due categorice coniunguntur secundum voces et significata simul

hic consequenter determinat de propositione disiunctiva in qua coniunguntur due categorice secundum vocem tantum. Ipsam primo sic diffinit. Disiunctiva est illa in qua coniunguntur due categorice per hanc coniunctionem vel disiunctivam. aut aliam sibi equivalentem.

Sciendum primo quod hec propositio dicitur disiunctiva eo quod in ipsa disiunguntur due categorice quantum ad significata. **E**t quia hoc fit convenienter per coniunctionem disiunctivam. **I**deo in ipsa vniuntur due categorice per hanc coniunctionem vel. aut per aliam sibi equivalentem. Coniunctionis autem disiunctive duo sunt actus.

Primus est coniungere voces in quo convenit cum alijs coniunctionibus. ratione cuius dicitur coniunctio. **S**ecundus actus est disiungere significata ratione cuius dicitur disiunctiva. et in hoc differt ab alijs coniunctionibus. **E**t per hoc patet intellectus predictae diffinitionis.

Sciendum secundo quod ad veritatem disiunctive sufficit alteram partem esse veram. Cuius ratio est quia disiunctiva ponit duas categoricas unam scilicet sub disiunctione ad aliam. **I**deo de suo significato formaliter tantum ponit unam categoricam. **N**on tamen determinat hanc vel illam. sed indeterminat. **I**deo ad veritatem eius sufficit alteram partem esse veram cum ponat unam istarum partium